

*Discursus Politicus*  
DE  
**INCREMENTIS**  
IMPERIORUM, EORUM-  
QUE AMPLITUDINE  
procurandâ.

*CUI INSERTA EST*  
*Dissertatio singularis, De No-*  
*vo Orbe.*

AUCTORE,  
CHRISTOPHORO BESOLDO, Jcto.



ARGENTORATI,  
Impensis Hæredum LAZARI ZETZNERI.

Anno M DC XXIII.



*Discursus Politicus,*  
DE  
**INCREMENTIS**  
IMPERIORUM, EORUMQUE  
amplitudine procurandâ.

CAP. I.

*Amplificationi, seu augmento Rei-  
publicæ operam dan-  
dam esse.*

**I**mperij Natura, ad Amplificationem suâ sponte ineitatur: quia, quò augustius, amplius & potentius, Regnum quodque est; eò firmitus, tutius, & diuturnius habetur. Quodlibet autem, adpetit conservationem sui: dum verò ritè Respublica conservatur, ea sui naturâ augetur, estq; amplificatio, fructus conservationis. Quippè quemadmodum arbores culturâ crescunt: ita & Respublica, si rectè administratur. Et usu quoque constat, amplissimis Regni finibus, subditos sub Rege maximo beatius vivere. Sunt namque hac ratione, ab injuriis Principum finitimorum tutiores; & bellis civilibus, quæ ab impotenti potentiorum cupiditate oriuntur, vacant plerunque: cum potentissimi Regis Imperio facillimè coerceantur. Ac quemadmodum sub Rege maximo atque potenti, cui satis superque est, undè cupiditates explere possit, bene vivere licet: ita miserrimum est, angustâ unius Tyrannide concludi; nisi Princeps optimè à naturâ, melius etiam ab optimis artibus imperandi fuerit subornatus. Bodinus, *Lib. 6. de Republ. cap. 4. ad fin. num. 716. & seq.* Hincque vulgò fertur: sub Rege magno vivere, summam esse libertatem.

II. Hincque augendæ, amplificandæque Reipublicæ studium, nunquam est intermittendum: cujus etiam Cæsares nostri, gloriosissimo titulo suo admonentur; cum Augusti, & propagatores Imperii (als *Lehrer des Reichs*) indigitantur. Herman. Kirchnerus, de Re-